



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Sacrum Oratorium Piarum Imaginum Immaculatæ Mariæ Et Animæ Creatæ Ac Baptismo, Poenitentia Et Eucharistia Innovatæ: Ars Nova Bene Vivendi Et Moriendi**

**Bivero, Pedro de**

**Antverpiæ, 1634**

Lvmen Sacri Oratorii

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47965](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47965)



*Angele Dei  
Custodi, Illumina, et Regge.*

## L V M E N S A C R I O R A T O R I I.

**S**acra ORATORII vox auctoribus nota Latinis, satis recepta in Constitutionibus Pontificum & Imperatorum, placuit Ecclesiae primoribus; qui pia loca, ubi primi Christiani pro divino cultu & precibus convenire consueverant, ORATORIA nuncuparunt. Ad hunc eundem finem SACRVM hoc ORATORIVM tripartitum exhibemus.

\*\* 3

Pri-

Prima pars continet imagines immaculate MARIAE, Filiae, Sponse, & Matris Dei, quae prima omnium recitat Dominicam Orationem, ebocta ab ipso Deo, & admonita sua creationis & liberationis à communi lue & labe, de qua gloriosa triumphat. Triumphat immunis ab omni culpa, de peccato & eius poenis, per nouem Solemnitates, in quibus festiuis Angelicae Salutationis acclamationibus excipitur ab anima Baptismate sancto tincta, Christiana, & tota Mariam reddita, Virtute sacri lauacri agente cum MARIA Solemnem de prima culpa & eius poenis triumphum.

Renata ex aqua & Spiritu sancto anima, lapsa rursus in peccatum transit à prima Parte ad secundam: in qua nouum inuenit Dauidem poenitentem, secundam post naufragium tabulam arripientem, & dicentem septem  
Plal. 50. Poenitentiae Psalmos; quorum praecipuus est ille, Misere mei Deus, continens in se poenitentis contritionem, confessionem, absolutionem & satisfactionem: quarum imagines desumptae ex Euangelio proponuntur, & monent officij sui Confessarium & confitentem; & ad extremum suadent frequentiam Confessionis Sacramentalis.

Rite confessa & absoluta anima transit de secunda Parte ad tertiam, ubi sacrae Synaxis particeps officitur, & excipitur cantibus sacrarum Virginum, more caelestium, Hymnum, Pange lingua gloriosi Corporis mysterium, non. uerbis, sed signis & insignibus propriis modu-

modulantium, & simul exponentium qualis esse debeat  
qui celebrat, & qui communicat. Claudis chorum assum-  
pta & coronata MARIA; cuius corona duodecim stel-  
larum indicat duodecim fructus Eucharistiae respondentem  
duodecim fructibus Spiritus sancti, & usque septem dona  
in fine ORATORII parant animam pro frequenti usu  
venerabilis Sacramenti. Cor denique noui Davidis co-  
lentis suum Creatorem, Redemptorem & Sanctificato-  
rem exhibetur, cuius effigie SACRVM ORATORIVM  
perficitur.

Pro foribus ORATORII apponitur, Attende, & Deut. 27,  
audi. quod est oraculum Deuteronomij, non absimile  
Delphico, quod erat in ianuis Apollinis litteris aureis  
exaratum: siquidem lib. 3. de Viduis, p. 3. relatus in Mil-  
leloq. Ambrosius cultorem monet: Tibi dicit Moyses:  
Attende tibi, hoc est, imagini quam à CHRISTO  
accepisti, similitudini ad quam factus es. Ipsam ser-  
ua imaginem, quam CHRISTVS in te operibus suis  
pinxit. Hec sunt opera CHRISTI, Baptismus, Pœni-  
tentia, & Eucharistia, quibus imaginem suam CHRISTVS  
perficit.

Ducit, & introducit in SACRVM hoc ORATORIVM  
pias animas Angelus custos, preferens lumen tripartitum  
pro Baptismo, Pœnitentia, & Eucharistia. Hoc Angeli mu-  
nus est; quandoquidem Israëlem, sub cuius cura, tutela  
& custodia erat, duxit olim ad aquas Maris rubri pro  
Baptismo,

Baptismo, ad desertum pro Pœnitentia, ad manna verò  
caeleste pro sacrosancta Eucharistia. Ergo, tibi dictum es-  
se existima, in primo ORATORII aditu, quod dixerat  
Deus populo cap. 23. Exod. Ecce ego mittam Angelum  
meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & in-  
troducatur in locum quem paravi. *Paratus hic locus  
debetur colentibus artem bene viuendi, & bene morien-  
di, cuius forma perspicua in SACRO ORATORIO ap-  
paret: omnes quippe eius imagines sacra sunt Emblemata  
pietatis, quam Deus iure Creationis, Regenerationis,  
Confessionis, & Communionis, à sua querit & exigit  
creatura.*



SACRI